



15

1.

160

1.

160

1.

161

1.

162

1.

162

1.

16



1574.

1. Censorarius, Huricus: De jure Romano iustis,
procuram ac libris, horumque ordine, serie ac
compositione. Oratio.

1606.

1. Pohl, Christophorus: An jura spoliatum, contra
leges, cogere possit, et respondendum spoliatori,
(qui jam spolia victus, et ad restitutionem con-
demnatus est) ante plenariam restitutionem
sultem ex praesens aequitate?

1608

1. Stureus, Azaria: De privatis delictis

1613.

1. Ohm, Christianus: De pignoris et hypothecis

1621.

1. Lindemannus, Thomas: De mutuo.

1623

1. Lindemannus, Thomas: De jure proximi secus, quae-
stionum, forum exinde promanantium.



1625

1. Griessheim, Hieronymus Cantabrigiae, a: De cunctis latiss.

ne.

1627.

1. Tullmannus, Lincii: De his, qui non tantum in facie.

1635

1. Laurenberg, Petrus: De temperamentis

1636.

1. Buzza, Marcus: De quatuor legalibus.

2. Schuetze, Nicolaus: De austregis

1637.

1. Schuetze, Nicolaus: De substitutionibus.

1643.

1. Schuetzmann, Hieronymus: Synopsis totius juris

fundamentalis

1646.

1. Schuetze, Nicolaus: De titulis.

1649.

1. Schuetzmann, Hieronymus, fac. jur. doctor. Programma,
quo ad Disputationem in unum. Johannis Schaperi iuristae.

1649

Lat.

2. Schuellman, Hieronymus: De crimine laesae
majestatis divinae et humanae.

1657.

Lat.

1. Lipstorpis, David: Innes positionum celeberr.
2. Lipstorpis, David: De caelo

1658.

1. Amura, Andreas Gualfridus: De nervis artuum
omnium.
2. Rahner, Hieronymus: De injuriis et famosis libel-
lis.

1659

1. Lembke, Hermannus: De necessaria defensione
2. Waldenbergius, Christianus: De origine, progressu
et usu corporis canonicis

1661.

Lat.

1. Waldenbergius, Christianus: De conditionibus et
abusu et canonicis



1665

1. Noldenberghius, Christianus: De favore juris, quod publice interest.

1666.

1. Redeker, Henricus Rudolphus: Programma, quo et Johannis Hurici Hubrichii in reputationem inuenitur.

2. Redeker, Henricus Rudolphus: De rescriptis principum sub et obreptitiis.

3. Redeker, Henricus Rudolphus: De advocatis.

1667.

1. Laumburg, Jacobus Sebastianus: De actorum lectione et relatione nec non sententiarum ex illis conceptione. 2 Saupp. 1667: 1735.

2. Lembecke, Hermannus: De inductis moratoris

3. Maurilius, Jacobus: De munimentis in locis editis et in subpositis

4. Redeker, Henricus Rudolphus: Programma, quo solemniter doctoratus Laurentii Anthonii Meinhartii indicitur.

1667

5. R

1668

1. M

2. R

1669

1. W

et

O

1667.

5. Riederer, Hurisus Rudolphus: De vulneribus.

1668

1. Nitzel, Joannes: De induciis moratoris positio


2. Radorius, Georgius: De contumacia


1669.

1. Wallenbergius, Christianus: De calumnia toribus
et juramento calumniae

167.
2. 11. 1785
168
1. 11. 1785
169
1. 11. 1785
170
1. 11. 1785
171
1. 11. 1785
172
1. 11. 1785
173
1. 11. 1785
174
1. 11. 1785
175
1. 11. 1785
176
1. 11. 1785
177
1. 11. 1785
178
1. 11. 1785
179
1. 11. 1785
180
1. 11. 1785
181
1. 11. 1785
182
1. 11. 1785
183
1. 11. 1785
184
1. 11. 1785
185
1. 11. 1785
186
1. 11. 1785
187
1. 11. 1785
188
1. 11. 1785
189
1. 11. 1785
190
1. 11. 1785
191
1. 11. 1785
192
1. 11. 1785
193
1. 11. 1785
194
1. 11. 1785
195
1. 11. 1785
196
1. 11. 1785
197
1. 11. 1785
198
1. 11. 1785
199
1. 11. 1785
200
1. 11. 1785













De vicinis Phoenice militis



Decisio Quæstionis:

2. ed.

An Judex spoliatum, contra leges, cogere possit, ad respondendum spoliatori, (qui jam spoliatus, & ad restitutionem condemnatus est) ante plenariam restitutionem saltem ex prætensa æquitate?

1606. 2.

Pro defensione Clientulæ suæ Honestissimæ

MARIÆ BITTERS,
Integerrimi & Spectabilis viri **HENRICI HOFFMANNI**, quondam præfecti delectui militum, apud ordines militares Belgicos, P. M. derelictæ viduæ & censuræ Amplissimæ Facultatis Juridicæ in celeberrima Rosarum Academia exhibita,

(2)

à
DN. CHRISTOPHORO POHL, *Regiom. Borus. ibidemq; Advocato.*

Advenam, pupillum & viduam: nolite contristari neq; opprimatis inique.
Hieremiæ 22. & Exod. 22. Tuq; maledictus eris, qui advenæ, pupilli & viduæ judicium pervertis, Deut. 27.



M. Sept. ANNO

 M. DC. VI.

6.

Illustrissimo Principi ac
Domino,
DN. JOACHIMO
FRIDERICO,

Marchioni Brandenburgensi, Sacri Romani
Imperij Archicamerario & Electori, Borus-
siae, Stetini, Pomeraniae, Cassuborum, nec
non in Silesia, Crosnae, & Carnoviae Duci,
Burggravio Norinbergensi, Rugiaeq;
Principi, Domino suo longè
Clementissimo,

*In debita subjectionis signum hoc patrocinium
vidua derelictae advena & peregrina,*

*Humilimè offert, dicat &
consecrat*

Christoph. Pohl R. B. A.

AD Tuam Clementiam, Illustrissime Princeps, Domine
Clementissime, lachrymas singultusque suos convertit,
advena & vidua derelicta Hoffmanni, in quam, quæso, Tuæ Cle-
mentiae oculos converte, & clementer aspice: hæc humilimè
T. Cels. defensionem (contra eos qui misere eam tot jam an-
nos contristarunt, & adhuc contristant, eamque varijs technis
opprimere student) expetit, & remunerationem iusticiae tuæ,
à Deo Opt. Max. Patre & Iudice viduarum & advenarum
exoptat. Vale.

DECL-



DECISIO QVÆSTIONIS:

AN Iudex contra expressas leges juris, prætenfa saltem æquitate, sententiam ferre possit? vel, ut in facti specie: An Iudex spoliatum, contra leges, cogere possit, ut spoliatori (qui jam ad restitutionem spoliij condemnatus est) ante restitutionem, & executionem, ad libellum suum Reconventionis, vel Exceptionem compensationis, debiti adhuc illiquidi, respondere debeat, ex præsumpta sua æquitate?

Ad hujus decisionem, occasionem præbet, quidam contortor legum (quem nominare non dignor) qui nulla juris vel cognitione vel religionem imbutus, imò, nec juris elementis vix dum à limine salutatis, statim ad praxin prorupit, & ex antecessoris sui scriptis, longoq; usu unam atq; alteram libelli formulam, non ex juris traditione, sed pro tribunalis observatione, consarcire didicit, iste suis technis, & decipulis persuadere conatur iudicibus, ut à legum sacrarum tramite, discedere, & juxta suam præsumptam æquitatem, & phantasiam, sententiam ferre, spoliatumq; vel ejus relictam viduam cogere, ut ad libellum spoliatoris vel hæredum suorum, ante restitutionem plenariam factam, respondere debeat, interimq; executio impediatur, sed an Iudex hoc facere possit & debeat, ex legibus ipsis, & Doctorum auctoritatibus & rationibus, breviter discutiendum est?

A 2

Ex a-

Ex actis apparet, quendam nomine Benedictum Buh-
nium spoliasse Henricum Hoffmannum, omnibus suis
bonis, lite pendente, coram compromissarijs, (qui sub
vadio mille florenorum Ungar. constituti erant, si litiga-
tores pendente lite, supplicaverint, appellaverint, aut ad
arbitrium boni viri ^{pro}proccaverint) quæ certè spoliatio o-
diosior est illa, quæ fit ante pendentiam litis. *Arel. in L.
naturaliter § nihil commune, in 4. col. ubi Bart. ff. de acq.
poss. & ibi Jaf. num. 131. Innoc. in c. dilecti, de major. & obe-
dient. in c. bona de appell. Rota decis 14. num. 25.*

Quia, ut Doctores ibi, spolians ante litem motam
offendit tantum jus & partem: qui autem post litem mo-
tam spoliat offendit, jus, judicem & partem. Ideo leges
magis debent insurgere contra eum qui jus, judicem, &
partem lædit, *c. cordi in fin. de appell. in 6.* Quare dicunt,
quod talis spolians, post litem motam, dicatur malæ fidei,
dolofus & temerarius, & contemptor juris & mundi.
Ideoq; leges, in odium spoliij, statuunt, quod spoliatus an-
te omnia restituendus sit, ita, ut qui tenetur de spolio, non
tantum rem spoliatam, sed & omnes fructus perceptos,
l. 1. § ex die & § non solum ff. de vi & vi armat. & quos
spoliatus percipere potuit, item omnes utilitates, quas ha-
biturus fuisset, si non fuisset spoliatus, restituere tenea-
tur, *d. § non solum, l. videamus la. 2 § item si vi, & § in
interdicto ff. de usur. & tex. clar. l. si de possessione C. unde
vi.* Harum legum vigore d. spoliator B. B. jam Anno
1570. per sententiam ad restitutionem condemnatus est.
Anno 69. rursus pronuntiarum: restitutionem ple-
nariam fieri debere: postmodum verbum plenariè, ita
declaratum: restitutionem & executionem fieri debe-
re, non tantum in bonis spoliatis immobilibus, sed &
mobilibus, fructibus à tempore spoliij perceptis, & per-
cipiendis, item damnis, interesse & expensis, quæ omnia
ad 8390.

ad 8390. marcas prutenicas moderata sunt. Quæ certè
sententiæ, & res judicatæ executioni mandari debent.
Frustra enim ferrentur omnes sententiæ, inutiliter iniren-
tur pacta, & transactiones inter homines, nisi judicata &
conventa mandarentur executioni, *c. quod ad consultatio-
nem vers. sed nec executionem, & c. cum aliquibus ext. de re
judi. l. cum quadam puella, in verb. sententia semel dicta exe-
qui debet, ff. de jurisdic. om. judi. l. post rem judicatam, & l. à
Divo Pio, in prin. & per tot. ff. de re judi. & alijs plurib.*

Quare Judex, & hoc in casu, sententias & res judica-
tas exequi, & spoliatum ante omnia restituere debet, cum
jura etiam expressè ituant, quod spoliatus ante omnia
sit restituendus, *text. c. in literis, & in c. conquerente, de re-
stitu. spol. text. in l. si coloni C. de agricol. & censit. lib. 10. &
in l. 1. § 1. ff. de vi & vi armat. gl. ibi in verb. recuperandum,
text. in l. si quis ad se fundum, C. ad L. Jul. de vi pub. c. redin-
tegranda 3. quest. 3.*

Si igitur Judex, hoc in casu, ad instantiam spoliatoris
prætenderet æquitatem, se nolle restituere spoliatum ante
omnia, sed quod spoliatus primo respondere deberet ad
libellum compensationis spoliatoris, & quidem debiti ad-
huc illiquidi. Quæritur an Judex hoc facere possit, & spo-
liatorem cum sua prætenfa æquitate audire debeat? Illius
quæstionis decisio videtur dependere ex illa quæstione:
An Judex in pœnis mitior legibus esse, & contra leges
ex æquitate disponere possit? Et concluditur planè
quod non. Nam Judicem in puniendo, pœnam legibus
expressam, omnino sequi oportet, nec mitior nec durior,
quàm lex esse debet, *l. Servos 8. in fin. C. ad L. Jul. de vi
pub. & privat. ibi: Judicem vero nosse oportet quod gra-
vi infamia sit notandus, si violentiæ crimen apud se pro-
batum ditulerit, seu omiserit, seu impunitate donaverit,
aut molliorem quam præstitimus pœnam protulerit,*

Neg:

A 3

I oport-

S. oportet, & S. fin. Auth. de iudicib. l. 1. §. 4. ff. ad S. C. Turpil. ibi: nam (ut Papinianus respondit) facti quidem quaestio in arbitrio est iudicantis; Pœna vero persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur, l. si qua pœna 244. ff. de verb. signific. l. si quis reum. ff. de custod. reorum gl. in l. quid ergo §. pœna gravior, ff. de his qui not. infam. l. aut damnatum 8. vers. proinde ff. de pœn. ubi Ictus negat pœsibus competere jus concedendi liberam facultatem delinquentibus, eligendi genus mortis, sed solius Imperatoris eam esse affirmat, Bart. & Dd. maximè vero Cepol in l. si fugitivi, C. de servo fugiti, c. iudicet ille 3. quest. 7. quod aureis literis scribendum esse dicit Gail lib. 2. observ. 76. num. 7. quod sic habet: Iudicet ille de alterius errore, qui non habet in se ipso, quod condemnet. iudicet ille, qui non habet eadem, quæ in alio putaverit punienda, nec cum de alio iudicat, in se ferat sententiam. iudicet ille, qui ad pronunciandum nullo odio, nulla offensione, nulla levitate ducatur. bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, & propriæ domesticæ voluntatis, sed juxta leges & jura pronunciat, statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil præparatum & meditatum de domo defert, sed sicut audit, ita iudicat, & sicut se habet natura, decernit, obsequitur legibus, non adversatur, examinat causæ merita, non mutat; Discite Iudices sæculi, quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam societatem, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Qui iudicat, voluntati suæ obtemperare non debet, sed tenere quod legum est.

Ex quibus omnibus jam manifestum est, & luce meridiana clarius liquet: Iudicem ex scriptis legibus, secundum ea quæ aguntur & producuntur in iudicio iudicare debere, & non secundum præsumptam suam æquitatem, vel opinionem. Quod autem in iure nostro sæpius

pius dicitur: Æquitatem scripto juri præferendam: hoc
habet locum, quando jus ipsum est dubium vel ambigu-
um. Nam ubi certæ leges sunt, Judici vel Jureconsulto,
hæc potestas non conceditur, ut mitior aut clementior
lege esse debeat, sed legem sequi oportet, quæ plana est, &
perspicua, quamvis dura videatur, *l. non quicquid §. Ju-
dex, ff. de judic. ibi: Judex, si quid adversus legis præceptum in
judicando, dolo malo prætermiserit, legem offendit, l. prospexit
legislator 12. ff. qui & à quib. manumiss.* Nam rigor juris
in specie, semper præfertur æquitati in genere, *Jas. in l.
placuit, C. de judi.* Unde magnam facit injuriam legi, qui
vult videri lege prudentior, *§. oportet in Auth. de judicib.
col. 6. & Baldus in l. 2. C. de sent. ex brevi recit. & in c. 1.
de off. ordi.*

Et secundum conscientiam & æquitatem is demum
judicare dicitur, qui habet conscientiam informatam à le-
gibus scriptis, hic neq; fallit neq; fallitur: Judicium verò
hominis, sequentis suum sensum & suam phantasiam, sive
suam præsumptam æquitatem, non regulatur ad amuf-
sim scriptarum legum, sed ad unius caput, aut illam in suo
cerebro conceptam æquitatem, & opinionem, ita fallit &
fallitur, *c. à nobis §. nos igitur, ext. de sentent. excom.*

Quare ex legibus scriptis, non autem ex arbitrio u-
nius, alteriusve capitis, secundum ea quæ aguntur & pro-
ponuntur in judicio judicandum est. Nam judicis arbitrio
id tantum relictum, quod nec à lege, neq; ab homine de-
terminatum est, *l. 1. §. ult. ff. de jure delib.*

Hinc sententia Judicis, contra leges lata, non modo
ipso jure nulla est, *l. 1. in prin. ff. qua sentent. sine appell. re-
scind. l. post sententiam, C. de sent. l. 1. C. quando provoc. non
est necess.* Sed Judex etiam litem suam facit. *gl. in c. ex-
communicamus, & verb. neglexerit, & ibi Felin. num. 5. & 6.
Ext. de heret. gloss. penult. c. quoniam contra, extr. de pro-
bat.*

bat. *Ægid. Boss. in prax crimin. tit. de off. corrupt. num. 24.*
Menoch. de arbitr. jud. quest. lib. 2. cent. 4. cas. 381. Quia
præsumitur id facere dolo malo, *Bart. in l. 5. §. in eum &*
ibi Alex. num. 5. ff. de dam. infect. Bald. l. mancipia 5. num. 1.
C. de serv. fugiti, Felinus d. c. excommunicamus num. 6. ar-
gument. l. si procuratorem 8. §. dolo, & l. dolus 44. ff. man-
dat. Alex. consil. 193. num. 13. lib. 1. Deci. consil. 120. nu-
mer. 7. cum seq. Ita, ut talis Judex, qui aperte contra le-
ges & res judicatas pronunciat, & ita iustitiam denegat,
& non administrat, suo officio privari, & ab eo remove-
ri, & possit & debeat, *l. si quis 3. C. de offic. præfect. Prator.*
c. 1. & 2. & tot. tit. de supplend. negligent. prælat. c. 2. ext. de
concess. præbend. Menoch. de arbitr. jud. quest. lib. 2. cent. 4.
casu 341. num. 5. Boer. decis. 153. num. 20. Andreas Geil ob-
servat. 28. num. 7. lib. 1.

Et criminaliter etiam accusari, *§. 1. auth. ut differ.*
judic. §. sit tibi, Auth. de mandat. princip. Bart. in l. fin. ff. de
varijs & extraordi. cog. Bart. quest. 9. incip. Judex per Im-
peratorem. Ægid. Bossi in pract. crim. de offic. corrupt. n. 24.
cir. fin. Chass. consil. 38. num. 34. & 35.

Cum igitur in causa spoliij leges expressè statuant,
quod spoliatus ante omnia sit restituendus, & causa spo-
lij sit privilegiata, ut de illa ante omnia cognosci debeat,
l. 1. C. si per vim vel alio mod. c. fin. extra. de ordin.
cognit.

Uſque adeò, ut agenti remedio recuperandæ, vel red-
integrandæ, exceptio dominij, obijci nequeat, *Innoc. &*
Dd. in c. sæpè extr. de restitut. spol.

Ita, ut spoliatus, etiam Prædo, restituendus, & spolia-
tor nullam exceptionem opponere possit, *c. in literis*
de restitut. spolia. l. si quis ad se fundum. C. ad L. Jul. de vi
pub. Dd. in l. naturaliter, §. nihil commune ff. de acquir.
possess. & in l. colonus, & in l. cum fundus, C. de vi & vi ar-
mat. &

mat & tot. tit. ext. de resti' ut spolia. Corset. in tract. spolia-
tus ante omnia restituendus.

Etiam i quis paratus sit in continenti de dominio //
suo si lem facere, gl. in l. 1. § 1. vers. ad recuperandam, ff.
de vi & vi armat. Dyn. c. qui ad agendum, de R. Iur. in 6.
Bart l. si de vi 39. ff. de judi. Boer. decis. 238. num 2.

Hinc nec exceptio compensationis, l. fin. & ibi Dd. //
C. de compensat. nec regula: Dolo facit qui petit id quod
mox est restitutus, locum habet, text. in l. dolo facit, ff. de //
dol. mal. & met. except. & in c. dolo facit, de R. Jur. in 6.

Nam Regula illa in petitorijs duntaxat locum habet,
non in possessorijs, ut sunt interdicta, in quibus spolia- //
tus ante omnia est restituendus, Geil. lib. 2. observ. 75.
num. 4. Wesembec. in parat. tit. quod legator. num. 4.

Etiam si quis non vi, sed clam, vel alio quocunq; mo-
do, possessione sua, spoliatus fuerit Innoc. c. post ele-
ctionem, Extr. de concess. prebend, Innoc & Antonius de But.
c. cum ad sedem, ext. de restitut. spolia. Bart. l. si coloni 14. C.
de agri & cens. lib. 11. Imol. & Alex. in d. l. naturaliter, § nihil
commune, de acquir. possess. & ibi Felin, num. 51. 52. Ripa
num. 73. Anton. Rube. num. 145.

Imo & autoritate Judicis possessione sua privatus //
fuerit, gl. in sum. 3. quest. 1. Bart & Dd. in l. justo possidet, 11.
ff. de acquir. possess. Oldra cons. 227. Antonius de Butrio con-
sil. 62. Cæpoll. consil. 19. Socin. consil. 12. col. 2 lib. 1. Baldus &
Angel. in l. meminerint argum. ill. text. C. unde vi. Deci. c.
referente num. 2. argt. ill. text. extra de prebent Decius, consil.
125. & cons. 200. Cravet. consil. 124. num 4. & consil. 140. lib. 1.

Utque privatus possessione sua ante restitutionem
factam, neq; ipsius rei, sed etiam omnium fructuum, o- //
mnisq; accessorij, conveniri nequeat, non solum à spo-
liatore, c. fin. & ibi Bald Abb. & Dd. extr. de ordin. cogn.
Boer decis. 238, n. 2. Marant in specul. 4 part. 6. dist. n. 32. & 25.

B

Verum

Verum nec ab illo, qui spoliationem factam, ratam habuit, *Francis. Ripa in d. § nihil commune, num. 51. argument. l. 1. § quoties. ff. de vi & vi arma, c. cum sedem ext. de restitut. spolia.*

Quàm diu nummus unicus, vel obulus, aut de principali, aut de accessorijs, fructibus, & expensis, in reitutione deficit, Tunc enim non potest in alio iudicio procedi, ut tenet *Bald. c. conquerente, ext. de restitut. spoliat. Abb. c. accedens & 2. num. 6. & ibi Panor. num. 5. ext. ut lite non contestat. Cravet. consil. 140. num. 3. lib. 1. Paris consil. 1. num. 148. & seq. in 1. & consil. 105. num. 7. in 3. & Grammat. consil. 191. num. 4. volum. 1. & consil. 149. num. 2. & 3. & Cephal. consil. 236. num. 13. Vall. consil. 33. num. 25. vol. 1. & consil. 6. num. 43. in 2. & Ripa d. § nihil commune, num. 50. ff. de acquir. rer. poss. Curt. Jun. consil. 41. in fin. & Alciat. cons. 370. num. 7. Ægid. Boss in pract. criminal. tit. de pluribus viol. num. 34. qui dicit hanc conclusionem reperiri in mille locis.*

Quinimò spoliatus non tenetur respondere in petitorio, aut alio iudicio, nisi re. titutus steterit in possessione tanto tempore pacificè, quanto tempore steterit ejetus & privatus, *Abb. c. venerabilis, column. 2. & ibi Felin. num. 2. extr. de offic. deleg. Curt. Jun. consil. 51. in fin. Aym. Gravet. cons. 240. num. 3. lib. 1. Francisc. Ripa, d. § nihil commune, num. 49. argument. cap. 2. & c. tamdiu 3. question. 2.*

Quæ igitur æquitas, in causa privilegiata spoliij Iudices movere potest ac debet? ut contra expressas leges, & auctoritates, ad temerarij litigatoris persuasionem, sententiam ferre, ac spoliatum reititui non velint? Sanè non video, Et illud quod ex legum & Imperatorum æquitate, in odium spoliatoris introductum est in favorem ejus retorquere? & spoliato jus per sententiam sibi quæ-
situm

litum auferre? Quod certè hîc fieret, si spoliatus ante
restitutionem, contra juris ordinem, spoliatori respon-
dere deberet. Nam cognoscere juris ordine non serva-
to, est jus alterius auferre. *Hipp. de Marsil. singul. 354.*
incipit in dubio. Panorm. in c. conquerente de restitut. spolia.
Felin. in c. dilectus, de rescript. Decis. consil. 200. num. 3.
incip. casu proposito. Et consil. 125. num. 8. incip. in causa
spoliationis.

Et insuper hoc absurdum sequeretur, nisi fieret resti-
tutio plenaria, & spoliator opponeret compensationem
debiti illiquidum, cum omnibus usuris usurarum, (ut hîc fit)
quod spoliator & hæredes ejus ex delicto vel facinore //
suo caperent lucrum, contra naturam, *l. sive hæreditaria,*
ff. de negot. gest. ubi Cajus inquit: quod cum propter aliquod
factum quis damnandus sit, absurdum est, eum ex facto illo
quicquam consequi. Et non debet (inquit Ulpian. in l. ita de-
num, de arbitr.) quis doli sui premium capere, Et turpia lu- //
era etiam hæredibus extorqueri debent, l. s. ff. de ca-
lumniato. Igitur condictio furtiva contra hæredes furis //
datur, etiamsi ad eos res furtiva non pervenerit, l. in con-
ditione 9. l. 5. & 8. § fin. ff. de condict. furti.

Non moveat vos Judices, paupertas spoliatoris hæ-
redum, (quam temerarius ille litigator allegat, sed con-
trarium potest monstrari) Judex enim calamitosorum,
precibus non debet illachrymari, sed fiat quod justum est.
l. observandum 19. ff. de off. præsid. Et spoliatus non tene-
tur respondere spoliatori ante restitutionem, nec unquam
est ei respondendum, si non sit solvendo, dicit Specul.
lib. 2. de petit. poss. § spoluit, § num. 14.

Nam etsi paupertas sit favorabilis, fallit tamen ubi
quis paupertatem incurrit, ex delicto suo, vel culpa, *l. bo-*
na fides, ff. de pos. l. penult. de jur. dot. l. fin. § fin. ff. de his
que in fraud. credi.

A 2

Nam

Nam spoliator semper est in mora & in delicto, restituere igitur debebat, cum adhuc restituere potuisset. Culpa igitur sua factum est, ne restitutio illo tempore facta sit, Damnum ergo quod quis ex sua culpa sentit, sibi imputandum est, *l. quod quis ex culpa sua, de reg. jur. c. damnum. de Reg. jur. in 6.*

Tum quia quando quis ex delicto vel quasi obligatus, solvendo non est, etiam bonorum cessione non liberatur, sed quod in ære non habet, in corpore luere debet, *Job. Fab. & Job. de Plat. § fin. & ibi Ias. num. 13. Instit. de act. Jas. in l. si quis id quod, num. 27. ff. de jur. om. jud. Boër. decis. 349. num. 8.*

Et hoc quidem generaliter verum est, de jure civili, potissimum verò locum habet de jure Saxon. (quo & nos utimur) quod cessionem bonorum non admittit, sed debitorem etiam non fraudulentum, & qui in fraudem creditorum nihil alienavit, sed aliàs solvendo non est, creditori, autoritate Judicis, addicit ut ei operetur, & is ab eo compedibus & vinculis includi potest, *art. 39. Landr. lib. 3. art. 27. Weichb. Chil. König in pract. cap. 103. num. 11. Ludo Fach. diff. 10. lib. 1. Aut saltem ex novissima Electoris constitutione in carcerem, (so man den Schult Thorm nens net) conijciendus est: *const. elect. 22. part. 2.* Et executio contra dolosos maximè debitores, usque ad sacculum & peram fieri debet, *per gloss. & Bart. in l. fin. § fin. verb. dabitur ff. quæ in fraud. credi. Boër. decis. 149. num. 9. vers. secundo.**

Quæ igitur æquitas, ô Judices, movere vos potest? ut contra tales expressas leges & statuta executionem impedire, spoliatumq; ante omnia restituere non velitis? Nonne summa æquitas in illi iuris: quod spoliatus ante omnia sit restituendus, inest? & verbo Dei consona? cum & aliàs singulis legibus, sua quædam æquitas constet,

l. 6.

l. si duo 13 § penult. ff. de iurejur. Non moveat vos ergo
unius ex suo cerebro imaginata opinio & æquitas. Mo-
veat vos potius summa iniquitas talis dolosi & temerarij
spoliatoris, contemptoris Juris & mundi, qui ita lite pen-
dente Henric. Hoffm. omnibus bonis suis spoliavit, ita,
ut dulce solum patriæ relinquere, amicos & cognatos cha-
ros deserere, & victum & amictum apud exterarum nationes
quærere coactus sit. Quæ nam tum fuit æquitas in spo-
liatore? Moveat vos Judices summa iniquitas hujus
contortoris legum qui omnia vertit evertitq;. Qui Illu-
stris: Ducem Prusiæ ALBERTUM Marchion. Se-
niorem, P. M. spoliatorem præsupponit, & illud contra
mentem & sententiam actorum spoliati, in quibus tamen
nil tale quid (sed contrarium) reperitur, affingit. Qui
spoliatorem constituit spoliatum: & spoliatum spoliato-
rem: creditorem, debitorem: & debitorem creditorem:
qui compedes & vincula minatur, spoliatiq; honestissi-
mam viduam, in carcerem detrudi petit, Das sie ihres
Mannes Schule bey Wasser und Brot abverdienen sol-
ent habent formalia: O temeritas, ô audacia. Hæc vidua,
victrix, ille victus, attamen illi talia minatur. Quare
huic derelictæ spoliati viduæ vitio verti non potest, nec
debet, quod ante omnia plenariam restitutionem petat,
vigore legum & tot sententiarum, & rerum judicatarum,
quæ omnia plenariam restitutionem illi attribuunt, quæ
etiam semel executioni demandata est, sed postmodum
per sub & obreptitium rescriptum inhibita, & nunc eam
ille procurator spoliatoris, non jure, & legibus, sed pro-
bris, convitijs, blasphemijs, impedire conatur, & tot an-
nos, quæsitis meris technis, & procrastinationibus, cir-
cumductis atque delusis parte & iudice, lites ex litibus se-
vit, (acta loquuntur) & concinnavit, & actricis innocen-
tis justitiam impunè (sua fretus impietate, audacia & ne-


fanda impudentia) ita perturbavit & suspendit, ut aetrix
jam orbata marito, omni, ferè, humano destituta præsi-
dio, peregrina & advena, jam per decennium (proh do-
lor) in Prussia fuerit, jamq; necessitate coacta, ut contra
suos adversarios subdolos, omnes juris Antistites, etjam
in peregrinis locis, in patrocinium vocet, qui absque du-
bio patrocinium illud libenter assumpturi sint, defensio-
nemq; viduæ derelictæ præstaturi? Gratiitudinem his be-
neficijs rependere, si fortuna aliquando responderit, cu-
rabit, interim quod ipsius tenuitas exolvere nequit, id
post hanc vitam pensaverit Deus, qui nullum opus bo-
num irremuneratum sinet. Judicate igitur vos viri con-
sultissimi & juris Antistites! An non hoc in casu, tot le-
ges expressæ, tot sententiæ, & res judicatæ, præferendæ
sint præsumptæ alicujus æquitati? Quod ego, per supra
adductas leges, authoritates, & rationes, (salvo tamen
omnium rectius sententium judicio) statuo. Non igitur
moveat vos iudices unius hominis præsumpta, & in suo
cerebro innata æquitas, ut tot sapientissimorum viro-
rum, tot laudatissimorum & Divorum Imp. ac Cæsara-
rum sanctiones, multis vigilijs excogitatas, & inventas,
ac multiplici sudore collectas, & per tot secula unanimi
consensu receptas, & comprobatas leges, è medio tolle-
re, & legibus talem injuriam inferatis. Valeat apud vos
plus, tantarum legum, Imp. & hoc in casu, tot senten-
tiarum, & rerum judicatarum authoritas, quam unius ho-
minis & procuratoris, procacitas & temeritas. Memores
responsi Caroli Quinti, obtrectatori alicui dati: Majesta-
tem, videlicet, ipsius, non esse ejus arrogantia, vel temeri-
tatis, ut sua vel privati alicujus somnia, tot sacratissimo-
rum & prudentissimorum Imperatorum, antecessorum
suorum, diu multumq; deliberatis, & semel conclusis sen-
tentijs, præferre, intenderet. ô dignum tanto Cæsare re-
sponsam.

Cogi-

Cogitate igitur Iudices, siquidem circa conditionem legum scriptarum & rerum judicatarum, veneranda antiquitas apud vos nullo in precio esse velit, quid putatis successores vestros, de vestris factis aut scriptis, post mortem vestram sensuros & locuturos esse?

Cogitate vos homines esse fieriq; posse, ut paulo post vel ipsi, vel liberi, item nati natorum, in necessitate constituti, frustra imploretis auxilium legum, contra quas jam peccetis? Quod tamen vos facturos, non confido, sed ad normam legum sententiarum atq; rerum judicatarum sententiam laturos: Quod si aliter fieret, ad tutissimum patronum nostrum confugimus, Deum Patrem viduarum & advenarum, qui huic causæ, & viduæ derelictæ iudicium faciet.









ULB Halle

3


006 681 972



6017







B187

Decisio Quæstionis:

An Judex spoliatum, contra leges, cogere possit, ad respondendum spoliatori, (qui jam spoliatus, & ad restitutionem condemnatus est) ante plenariam restitutionem saltem ex prætensa equitate?

1606. 1.

Pro defensione Clientulæ suæ Honestissimæ

MARIÆ BITTERS,
Integerrimi & Spectabilis viri HENRICI
HOFFMANNI, quondam præfecti delectui militum, a-
pud ordines militares Belgicos, P. M. derelictæ viduæ
& censuræ Amplissimæ Facultatis Juridicæ
in celeberrima Rosarum Acade-
mia exhibita,

à
DN. CHRISTOPHORO POHL, *Regiom.*
Boruf. ibidemq; Advocato.

Advenam, pupillum & viduam: nolite contristari neq; opprimatis iniquè.
Hieremiæ 22. & Exod. 22. Tuq; maledictus eris, qui advenæ, pupillò
& viduæ judicium pervertis, Deut. 27.

✠ ✠

M. Sept. ANNO

M. DC. VI.